

QK. 304.6^o

v. Miltitz

Z c
6793

X 2054253

Præstes - ProtoSynedrî - Illustris

sub

DEI

Ense - Rutâ

Saxonicis

auspicatò - electus,

Præcelsus

DN. HAUBOLDUS a MILTITZ

Toparcha in Schencken, & Scharffenberg,

Serenissimæ

Electorisæ - Matri

ab Aula Regimine

opido - eminent,

bonæ scævæ

ergo

Salutatur

ab

Urbis - Freibergensis

Presbyterio.

Literis Beutherianis

cl. 136 LVI.





Quem vult Supremi - *DEUS* - Ipse esse Alpha-
SynedrI,
MILTIZI, Eusebies corq, oculusq, Dices,
Scande Tribunal: ovans Te quilibet excipit usquam
Qui sub Rutato-Saxonis-Ense cubat.
En Pater-Elector, simul Electorius-Heres
Gratantur diis letus uterqve labris.
Electorissa, ut primum Te limat ocellis,
Attamen applausum dat geminante manu.
Ne tardes igitur: Tua tangunt Genua Clientes-
Exul - Pupillus - Pastor - Ovis - Vidua.
Quippe Tuis certum spondent sub Fascibus omnes
Præsidium omne sibi, subsidium omne tibi.
Eminus e doctis mihi met Philuræidos ulnis
In Patrocinio blandior - Ipse Tuo,
Jova det Illustrem vegeto cum corpore Men-
tem,
Sit Serpens-oculus Corqve-Columba Tibi.

oculo saliente

assurgebat

Sebastianus Gottfried Starck

SS. Theol. Doctor, Pastor &
Superintendens.

METZCHI-

METZSCHIIUS occubuit, veræ Pietatis Agalma
Qvi fuit, & celebris Nobilitatis Apex.

METZSHIUS occubuit, Magni quem Principis Aula
Consiliis jussit rite præesse sacris.

METZSHIUS occubuit, Patriæ qvi vivus adauxit
Commoda, judicii dexteritate sui.

METZSCHIIUS occubuit, verùm *non deficit alter,*
Hoc qvi fruge pari munus obire potest.

Si nomen cupis, est MILITIIUS inclytus Heros,
Qvem pius inflammat Religionis amor.

Justitiam verò qvi sic tueatur, & æquum,
Inter mille parem vix reperire queas.

Hinc sibi Relligio succensus spondet amicos,
Et stabiles sedes Tempa Scholæqve vovent.

Multis ille quidem caput objectare periclis
Cogitur, & durum ferre laboris onus,

Qvem DEUS in speculâ sublimi sistit, ut æquis
Imperiis alios sub sua jura trahat:

Non tamen idcirco justæ diffidere causæ,
Sed stabili debet fidere mente DEO:

Ipse quòd insufflante sacri Spiraminis aurâ,
Optatum ad portum carbasa laxa trahet:

Quod superest, quia vota valent, calidiqve precatus
Invictum Numen vincere sæpe solent:

Præses ut iste novus Pylios MILITIIUS annos
Exigat, & studium conferat omne suum,

Quò variis oppressa malis Ecclesia CHRISTI
crescat, & obtineant pristina fulcra Scholæ,

Apprecor, utqve mei sint hæc fragrantia vota
Sinceri cordis symbola certa volo.

Vivat, & in Domino, toti qvi præsidet orbi,
Præsidium Præses sufferat iste novum:

Atque satur vitæ, fessusque senilibus annis
In superâ tandem sede beatus agat.

*M. Balthasar Wagner, Archidiaconus,
& Ministerii Freibergensis Senior.*

UT frustra est, Libyci qui Ponti tentat arenas,
Aut Cœli micidas connumerare faces:
Sic frustra est, dias satagit qui dicere dotes,
Laudis & HAUBOLDI magna MILITII.
Unica laus hæc est, ejus quod dicere laudes
Nemo queat, Clarius sit licet ipse Deus.
Sat mihi PRÆSIDII gratariæ Orgia sacri,
Necnon PATRONUM conciliasse mihi.
Faustiter ergo sacri conscende a sarota SynedrI,
MILTITZI, Themidos nobile plasma Deæ.
Meque Meosque tui Zephyris adflato Favoris,
Et credam, medios me inter obire polos.

*M. GABRIEL SCHLEIFFENTAGIUS,
ad S. Petri Ecclesiastes Pr.*

Ad Generosum Dn. Præsidentem.

Supremi ingrederis dum, Vir Generose, SynedrI
Præses honoris onus non sine laude novum,
Maxima lætificam pertentant gaudia mentem,
Te quod in hac Speculâ sistere Jova cupit.
Scande sacri Præses Sellas, ô scande, SynedrI,
Concedet vires, robur & omne DEUS.

*Jacobus Setlerus Freib. Ecclesiastes ad
D. Nicol. Ætatis 70. Ministerii 43.*

Præsidis æterni moderamine funera fecit
METZSHIADES Magnus, Præsidiog, modum.
Præsidis æterni moderamine munia, Præses
MILTITZI illustris, Præsidis ampla facis, Pra-

*Præsidae Te quivis quavis felicia sperat,
Præsidiòq; Tuo, Magne Patrone, vovet.
Præsidio JOVÆ nullo non tempore felix
Præsidiū peragas munia magna, precor.*

Gabriel Polonus ad
D. Jacobi Pastor.

HAUBOLDE A MILTITZ salve, Prænobilis Heros,
ELECTORISSÆ Præfecte Gravissime salve!
Salve Præcellens Generosi Stemmatis Umbo,
nunc-Consistori-Princeps Lectissime salve!
DI Te ament, dotesq;ve animi satis undiq;ve sparsas,
*quà Titan ortu terras adspergit Eoò,
quàq; premit fugiens Tartessia litora Phæbus,
quàq; furens Boreas gelidâ bacchatur ab Arcto,
& quâ terribilis madidis Notus avolat alis.*
Dii Te ament, Clarias quòd tantò pectore Musas
Præsidiòq;ve Tuo non-deficiente tueris;
*Hinc vise gaudere Dea, quas alta Pirene,
quas Parnassus habet, sacratâq; Cyrrha recondit.*
Dii Te ament, quòd tam Patriæ, Patriæq;ve Parenti
RUTIGERO, vigili conamine munia solvis;
Dii Te ament, dextrò bene-quòd-moderamine-claras
resq;ve sacras, divumq;ve gregem, miserumq;ve popellum,
*qualiter obnuptam moderatur Delia noctem,
quum profert nitidas reparando cornua bigas,
aut velut Aurora est roseò spectabilis ore,
puniceum inficiens orienti lumine cælum.*
Dii Te ament, & ament Illustria Membra Synedrī,
Quæ Tecum partes Excelsi SAXONIS explent.
Dii Te amant, Magnum surgit super æthera Nomen
talibus auspiciis, *tantis caligat in ausis
mens hominum*, dotes mirantur Numina raras.

*Ibitis hinc atra, feralia Nomina, mortes,
Præsidis ac quicquid conatibus adversatur;
Vosq; Cuculligeri, calvastrò vortice ventres,
deprocul hinc celerem celeri pede carpite gressum,
quà Pluto incurvus tremebunda celeusmata ruētat,
quà tremor & fremitus, & lamentabile regnum.
Nos Tibimet columem, Mecænas Maxume, vitam,
annosofq; dies, & Pensa secunda, precamur.
Hæc tu, tergemini qui mundi vasta gubernas
climata, magne DEUS, rata singula redde Patrono.*

Hic

Illustrem Dn. Præsidem

cantillans est

Κλιενς τῶν πεινῶν

*M. Carol Zincke P. L. C. Ecclesiastes
in Æde Cathedrali.*

METZSCHIADÆ pia dum solvuntur lumina morte,
ecce vices vacuas quis capiat, dubium est.

Ex hominum votis hic designatur & ille,

HAUBOLDUM in cœlis Numina sancta volunt.

Enfiger ut SAXO hoc vidit, consentit, & infit,

HAUBOLDUS posthac Præsidis esto loca.

Et dictum & factum! Gaudet pia turba Sionis

Huncce Virum quando prendere sceptrâ videt.

Et nos Freibergæ lætamur, & optima quæque.

auspiciis volupe est addere vota novis.

Euge NOVE ut vivas PRÆSES, vox unica nobis,

Ut vigeas, vireas, unica vota, preces.

Maximus in Cœlo tua fata & facta secundet

PRÆSES! TE crescat PRÆSIDE nostra Salus!

Ita in debitæ Reverentiæ τῆς κληρονομίας, & lætæ

congratulationis argumentum assurgit

M. Bartholomæus Glaser Symmysta Petrinus.

Quem Genus, atq; Themis decorant, aptèq; parati
 Mores sublimi Laudis in arce locant:
 Præsidis officio fungi MILITIVS Heros
 Incipit, expendi res ubi sacra solet.
 Hinc quotquot calefacta Sacro pietatis ab igni
 Corda gerunt, & pro religione litant:
 Unanimes ipsi gratantia carmina pangunt,
 Proq; salute viri plurima vota ferunt.
 His autem mea quò jungam, sub Præsidis hujus
 Præsidio, ut vigeat dedita turba DEO,
 Inq; fide stabilis cœlestia regna capeffat,
 Æternum veneror suplice voce DEUM.
 Vivat, & in seros crescat MILITIVS annos!
 Vivat, & officio premia digna ferat!

M. Johannes Srische ad S. Nicolai
 Concionator matutinus.

PRÆSES ut Enliferi scandit sacra templa SynedrI
 MILITIVS, sacrae Nobile Agalma rei.
 Hà bellè factum est, Themis inquit & alma Sebèa,
 Sic nobis regimen crevit ovatqve novum.
 CHRISTE, novo vires da Præsidi ab axe novellas
 Da sanam in sano corpore mentem animi.
 Da, vivat Pylios fatis felicibus annos,
 Da, mihi Patronus maximus usque fiet!

M. Ambrosius Walburger
 ad D. Jacobi Verbi Minister.

Fulminis haut semper terram quatit impetus atrox,
 Nec petulans ventus murmura sevaciet;
 Sed mox auricomus radios Solusq; refundit,
 & venti impetibus terra soluta viget;
 Flebilibus sic nos non semper motibus angunt
 Acres tristitia, curaq; mentis iners;

Tristibus

2c 6793 AK

*Tristibus at pulsus nobismet malsa supersunt
Gaudia, quæ recreant nectare corda novo.
Hactenus immitti nos Atropos impete duxit,
Præstes METZSCHIADES, quum moriturus erat;
Nunc cælo nobis Sol ridet ubiq; serenus,
Ut MILTITZIADES Præsidis orsa subit.
Mirima næ rerum facies! Sic Numina terris
Ludunt, Sic sequitur vita secunda necem.
Scande igitur felix, VIR MAXUME, templa Synedrî,
Exorna spartam divite fruge Tuam;
Divitiis animi divis moderare Popellum,
Nostraq; fac crescat tempus in omne salus.
Ipse Tuos Præses ter Maxumus Optumus ille,
Conatus summâ prosperitate beet;
Et faciat, Patriæ vivas tot secula sospes,
Astra quot in cælis fulgere clara solent.
Sic MILTITZIADÆ famâ complebitur Orbis,
Credet & humanum Te fore quisq; Deum.*

Fridericus Starck Past. ad S. S.
Johan: & Barthol:

Nemo Tuas dignè Virtutes, Magne Patrone,
Dicet & extollet, queis sine labe micæ.
Hæ TE magnificent, has prædicat orbis, & inde
DIRECTOR SANCTI CONSILII esse meres.
Maçte novâ spartâ! Videt hoc pius ordo ministrum,
Exsilit & repetit Maçte subinde suum.
Maçte ò noster Amor, nostri nova Gloria maçte
Ordinis, in nostrum maçte perenne decus.

*M. Michaël Maukisch ad D. Petri
Concionator vespertinus.*

F I N I S.

1077

MC

QK. 304.6^o

v. N

Præstes - ProtoSyn

sub
DEI

Ense -

Saxoni

auspicato -

Præcel

DN. HAUBOLDI

Toparcha in Schencken

Sereniff

Electorisſe

ab Aula R

opido - em

bonæ ſc

ergo

Saluta

ab

Urbis - Freit

Presbyt

Literis Beut

clis Ipc



93

4253

